

nus¹⁾ refert. Secundus sanctus Landoaldus Rome presul ordinatus, et a predicto pontifice Amando accitus ut gregem Domino fidelium sancta secum predicatione in Gallia²⁾ amplificaret, postquam multam ad Dominum plebem convertisset, Trajectensem per novem annos rexit pontificatum, sanctum Lantbertum ab annis puerilibus studiis celestibus informans, post multa bonorum operum insignia in eodem est episcopio tumultus. Tertius beatus Amantius, ipsius presulis sancti Landoaldi archidyaconus, cum ipso in eadem techa repertus. Quartus Adrianus martyr, ipsius ad regem Hildricum inter-nuntius et in ipsa legatione a latrone interemptus, simul cum eo est tumultus. Quinta sancta Vinciana virgo, soror ejusdem sancti Landoaldi, sexta beata Landradra Belisie abbatissa que beatam docuit Amalbergam. Hii cum beato Landoaldo de Roma pariter venientes et ipsius ubique laboris et predicationis consortes, cum ipso sunt simul tumultati et Deo propitio ad nos usque perlati. Sed hec omnia liber de³⁾ gestis eorum conscriptus manifestius testatur. Septima sancta Pharahildis virgo apud nos antiquitus reperta. Octavus sanctus Livinus episcopus, de Scottia causa orationis veniens et apud villam quandam Sancti Bavonis hereditariam a viris malignis interfectus, palmam est a Christo martyrii adeptus. Nonus beate memorie Macharius, Anthyocene sedis ut ipse fatebatur archyepiscopus, ut ipsi vidimus, sapientia et morum honestate preclarus, quem Dominus post plurima peregrinationis incommoda nobis est transmittere dignatus atque presentis vite molestia exutum et eterna gloria sublimatum crebris miraculorum signis postmodum mirifice decoravit⁴⁾. Deinde quanta apud nos plurimorum sanctorum pignora habeantur, scilicet apostolorum, martyrum, confessorum, virginum, antiquitus ab ipso christi-anitatis exordio recondita, nisi quis oculis inspexerit neque narranti neque scribenti facile credit. Et quid⁵⁾ hiis maximum et pretiosissimum est, pars quedam magna ligni salutaris cum ipso Redemptionis nostre cruore manifestissime perfusa, et fabrica annali⁶⁾ auro gemmisque pretiosis decentissime inserta.

Nunc igitur, domina nostra dulcissima, quoniam satis vobis factum est de corporibus et⁷⁾ reliquiis sanctorum, animadvertite si vestre placet pietati, qualis quantusve hic locus olim fuerit et ad qualem nunc dilapsus inopiam. Est enim caput regionis, primatum ceterarum tenens civitatum et ab antiquis Gandavum vocitatus, castrum ubi sanctus pontifex Amandus post gentilium conversionem templum Domino in honore beati apostolorum principis Petri reliquiis maximis construxit insertis, atque

1) plenus *cod.* 2) *ita Mir. Gallias cod.* 3) *superscr. man. al.* 4) Er starb am 10. April 1012; vgl. S. Hirsch, *Jahrbücher unter Heinrich II.* I, 527. 5) quod ex *Mir.* 6) *ita codex.* 7) s. et r. *corr. ut editum,*